

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO**

*Ph.D. Level Medieval Latin Examination*

**6 September 1996**

\*\*\*\*\*  
Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**  
\*\*\*\*\*

**1. Heretics arrive in England (William of Newburgh)**

Iisdem diebus erronei quidam venerunt in Angliam, ex eorum, ut creditur, genere quos vulgo Publicanos vocant. Hi nimirum olim ex Gasconia incerto auctore habentes originem, regionibus plurimis virus suae perfidiae infuderunt. Quippe in latissimis Galliae, Hispaniae, Italiae, Germaniaeque provinciis tam multi hac peste infecti esse dicuntur, ut, secundum prophetam, multiplicati esse super numerum videantur. Denique cum a praesulibus ecclesiarum et principibus provinciarum in eos remissius agitur, egrediuntur de caveis suis vulpes nequissimae, et praetenta specie pietatis, seducendo simplices, vineam Domini Sabaoth, tanto gravius quanto liberius, demoliuntur. Cum autem adversus eos igne Dei fidelium zelus succenditur, in suis foveis delitescent, minusque sunt noxii; sed tamen occultum spargendo virus nocere non desinunt. Homines rustici et idiotae, atque ideo ad rationem hebetes, peste vero illa semel hausta ita sunt imbuti, ut ad omnem rigeant disciplinam, unde rarissime contingit eorum aliquem, cum a suis latebris proditi extrahuntur, ad pietatem converti.

## 2. The purpose and methods of history (Henry of Huntingdon)

Historia igitur praeterita quasi praesentia visui repraesentat; futura ex praeteritis imaginando dijudicat. Habet quidem et praeter haec illustres transactorum notitia dotes, quod ipsa maxime distinguat a brutis rationabiles: bruti namque homines et animalia unde sint nesciunt, genus suum nesciunt, patriae suae casus et gesta nesciunt, immo nec scire volunt. Quorum, homines quidem illos infeliciores iudico; quia quod bestiis ex creatione, hoc illis ex propria contingit inanitione; et quod bestiae si vellent non possent, hoc illi nolunt cum possint. Sed de his jam transeundum est, quorum mors et vita sempiterno dotanda est silentio. Haec ergo considerans, hujus regni gesta et nostrae gentis originem jussu tuo, praesul Alexander, qui flos et cacumen regni et gentis esse videris, decurrenda suscepi; tuo quidem consilio Bedae venerabilis Ecclesiasticam, qua potui, sequutus Historiam, nonnullis etiam ex aliis excerpens auctoribus, inde chronica in antiquis reservata librariis compilans, usque nostrum ad auditum et visum praeterita repraesentavi.

## 3. Pope John VIII rebukes two interlopers (AD 874-5)

Relatum est nobis, quod quasdam sortes regni quondam dive memoriae Lotharii imperatoris inconvenienter retineatis et vestro pro libitu contra omnem iusticiam disponatis. Ipsum siquidem regnum paterno atque fraterno iure piissimo et a Deo conservando domno Ludovico semper augusto, quod et vos latere non credimus, multis modis debetur. Et vos quare terminos, quos posuerunt patres vestri, transgrediamini contra fas retinendo, miramur. An ignoratis, quod tam ipse Lotharius imperator et dilectus filius noster Ludovicus genitor vester atque Karolus reges inter se divisionem fecerint, ut sibi et filiis suis singulas metas ad invicem conservantes et amicitiam mutuam custodierint et nemo eorum fraternam sortem transiliret? Quod non verbis sed etiam iuramento sunt tempore illo polliciti ipsumque iuramentum, ut removeri non posset, sedi apostolice, ut illa super hoc esset posteriori tempore testis et iudex, uanimitate transmiserunt et non solum in archivo nostre ecclesie nunc manet reconditum, verum etiam, ut validius robustiusque pactum ipsum iureiurando habitum permaneret, sinodica conventio diffinivit.

#### 4. Human appetites (an Oxford sermon, 15th century)

Dixi secundo principaliter quod mater nostra philosophia commendanda est propter purum medium et progressum quem nobis monstrat contra appetitus bestiales. Quod mater nostra facit nobis ethicam reuoluendo. Duplex enim secundum philosophos est humanus appetitus, rationalis scilicet et sensituius siue bestialis. Et certe dum primus appetitus, scilicet rationalis, mentis tenet imperium, tunc attrita auida contemplacione terrestrium anima, vt in suum finem tendat, liberior aptaque magis efficitur. Pura enim et beata est anima que non est infecta prauis cogitacionibus huius mundi et intellexerit creatorem suum. Et illa est que reuertetur in locum suum cum deliciis magnis, Aristoteles in fine De pomo. Set reuera, domini, si secundo appetitui confertur regulandi magisterium, tunc sopita contemplacione celestium anima ad terrena conspiciens secularibus curis miserabiliter conuertitur. Dum enim appetitus sensituius vincit intellectum, ordo naturalis postponitur, et homo velut bestia regulatur solum delectaciones corporis prosequendo. Propter quod distincte tendere in suum finem non potest.